

SVEVOS, vulgo SCHVVABIOS,

multis

In Litterariam aequae ac Ciuilem Rempublicam

meritis praeclaros,

in memoriam reuocant

CONSVLI
CIVITATIS PATRIAE

AMPLISSIMO,

D O M I N O

IO. MARTINO
SCHVVABIO,

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORI FAMIGERATISSIMO,

Praetori antea et Aerarii Ecclesiastici Praefecto de patria vbique
bene merito,

Patrono ac rei Scholasticae Curatori grauisimo,

PRIMUM CONSVLATVM

ex obseruantiae legibus,

more recepto gratulantes

MVSAE ANNAEBERGENSES,

interprete Rectore

CHRISTIANO FRID. VVILISCHIO,

LIEBSTADIENSI.

ANNAEBERGAE,

LITTERIS RICHTERIANIS.

Biogr. erud.

D. 1710, 62

Vol. II de Homonymis Sarty.

7 7.
 CONSVL
 REIPVBLICAE ANNAEBER-
 GENSIS
 AMPLISSIME,



Um primum hoc nomine compellaris, fasces ciuitatis nostrae prima vice, hoc ipso die, ciuium adplausu adeptus, *nouorum*, qui Romanis ita dicebantur, *hominum* recordatio animum meum opportune subit. *Nouus* autem *homo* penes Romanos olim appellabatur, qui parum nobilitatis aut gloriae a maioribus suis acceperat, et ipse primus publicas fortitus in vrbe dignitates, genti suae affuderat lucem, aut vt breuius cum *Asconio Pediano* dicam, qui *primus in sua gente honores adeptus erat*. Καλῶσι δ' ἔτιω Ἰὺς ἀφ' ἑαυτῶν ἀλλ' ἔτιω προγόνων γνωρίμας, inquit *Appianus* II. Ἐμφυλ. p. 428. h. e. *ita vocant, qui ex se ac sua virtute, non maiorum gloria inclaruere*. Nam qui maiorum suorum habuerunt imagines, ii *Nobiles*; qui suas tantum, ii *Novi*; qui nec maiorum nec suas, *Ignobiles* adpellati sunt, ita vt *nouitas* interiecta veluti esset inter *nobilitatem* & *ignobilitatem*, prout eleganter differit hac de re *Car. Sigonius* de Antiqu. Jur. Ciu. Rom. II. 20. vnde plurima sua exscripsisse *Io. Rosinum* Antiqu. Rom. L. I. c. 19. recte arguit magnus ille litterarum olim dictator, *Io. Henr. Boeclerus* in *Velleji* L. II. c. 128. n. 1. *Talis nouus homo* fuit *M. Aper* quidam penes Auctorem de *Causis corruptae Eloquentiae* c. 7. ipse de se factus, *non eum diem laetiozem se egisse, quo ipsi latus clauus oblatus esset, vel quo homo nouus et in ciuitate minime fauorabilis natus, quaesturam aut tribunatum aut praeturam accepisset*: quin & ipse *Cicero* noster, qui omnia incrementa sua sibi debuit, dictus exinde *Vellejo* L. II. c. 34. *vir nouitatis nobilissimae, et vt vita clarus, ita ingenio maximus*. Quae familiae *nouitas* neque *D. Augusto* neque *M. Agrippae* obstetit, teste eodem *Vellejo* II. c. 127. quo minus ad multiplices consulatus triumphosque, et complura eniterentur sacerdotia, quin imo *Agrippam* multis adeo rebus suam nobilitasse nouitatem c. 96. legimus, atque in hoc perduxisse, vt et

Neronis esset focer, cujusque liberos, nepotes suos D. Augustus praepositis Caji et Lucii nominibus adoptasset. Eiusdem fortis etiam fuit M. Cato. Sic enim Plutarchus in vita ipsius f. 129. εἰωθότων δὲ τῶν Ῥωμαίων τὰς ἀπὸ γένους μὲν δόξαν ἔκχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι' αὐτῶν, καινὰς προσ-αγορεύειν ἀνθρώπους, ὡς περὶ καὶ τὸν Κάτωνα προσηγόρευον, αὐτὸς ἔλεγε καινὸς εἶναι πρὸς ἀρχὴν καὶ δόξαν, ἔργοις δὲ προγόνων καὶ ἀρεταῖς, παμπάλαιος, Cum Romani solerent eos, qui generis quidem claritudine destituti, per se tamen ipsos incipiebant clarescere, Novos adpellare homines, sicut et Catonem adpellarunt: respondit Cato, esse se quidem novum ad Magistratus et honores, factis autem virtutibusque majorum, peruetustum. Proinde iterum Vellejus L. II. c. 128. non solum T. Coruncanium, hominem novum, ad principale elatum fuisse fastigium, sed & M. Catonem, novum etiam Tusculo (feu uti Lipsius legi mavult: et a Tusculo) Urbis inquilinum in consulatus, censuras, et triumphos profectum esse docet. Vnde discrimen adhuc fuisse inter novos homines, alios scilicet fuisse inquilinos, alios peregrinos constat, sicut et Cicero pro Sulla c. 7. et 8. eos, qui e municipiis sunt, vocari peregrinos vetat, de quibus Tacitus III. An. 55. ita: simul novi homines e municipiis et Coloniis atque etiam prouinciis, in senatum crebro adsumti, domesticam parsimoniam intulerunt. Hinc Boeclerus l. c. obseruat hominis noui significatum aliquando ex parte referri, h. e. saepe conjungi cum peregrinitate, ita vt qui nouus sit, idem et peregrinus dici possit. Alias qui nouus est, h. e. genere non adeo nobili prognatus, non semper peregrinus, h. e. alia ciuitate oriundus, dici potest. Nouus enim plerumque opponitur ei, qui patritia genitus familia, majorum dignitate et gloria superbit. An vero peregrino ejusmodi et nouo homini dignitates in Republ. tuto possint committi, multum disceptari inter eos legimus, qui de Rebus Civilibus et constituenda Republ. consilia contulerunt. Generis nobilitate eminentes et patritia genitos familia praefereudos esse nouis et peregrinis hominibus, monet filium suum Iacobus, Rex Britanniae in δώρῳ βασιλ. L. II. f. m. 73. edit. Francof. Quid? quod Claudius Sefellius de Republ. Gall. p. 55. e rebus Gallorum id temporis fore existimabat, si dinignitates nobilibus potius, quam aliis tribuantur, modo (quae cardo rei est,) nobiles illi dignitatibus, honoribus et rebus agendis pares. Id quod etiam inter ultimae voluntatis documenta Ioannis, Regis Danorum ad Christianum, filium suum, refert Io. Meursius Hist. Dan. L. II. f. 112. vt legat sibi homines, quos in honore habeat, indigenas, non extraneos, neque nouos, sed profapiae vetustae. Equidem adprobant hoc optimi Regis consilium Honorii et Arcadii, Impp. tem

tem

tempora, quorum peruersitatem non parum auxere *noui homines*, spretis quippe et a principum horum amicitia exclusis nobilibus, summis rebus admoti. At cum non genus, sed virtus nobilitat, idque quod optimum est, nobilissimum esse putatur, ei plurimum etiam tribuatur honoris, in cuius animo virtus inest, et luculentior generosae indolis significatio adparet. Poterit igitur aliquis *homo nouus* existere omni virtute cumulatus, qui ita versetur in studio dignitatis, vt inter omnes excellat: *quia tamen in ea gente primus numeratur, non erit in numero Nobilium.* Postquam vero in ea familia, multi exemplis illius incitati, in gloriae cupiditatem incubuerint, dum demum elucere incipiet illud nobilitatis eximiae lumen. Primus itaque generosus & magnificus, non tam nobilis adpellari solet. Vt sit ea omnino differentia, quae est apud Graecos inter *εὐγενῆ* et *γενναῖον*. Hoc enim ad animi praestantiam refertur: illud ad familiae celebritatem. Vt igitur vnum non numerum, sed numeri principium dicimus: Sic illum primum omnibus summis honoribus dignissimum, non nobilem sed auctorem et Principem nobilitatis existimamus; quae verba sunt Hieron. Orosii, Lusitani, de Nobilitate Civili L. I. p. 36. qui et L. II. prolixius disquirat, *utri praestantiores sint habendi, Noui homines, qui ex se inclaruere, aut qui vetustae nobilitatis stimulis & instrumento vsi, claritudinem conseruarunt.*

Sed quorsum haec *de nouis hominibus*? Parum triuisse manibus eum priorum temporum monumenta, et alienum plane esse ab historiarum amoenitatibus pene dixerim, cui antiquior illa, et clarissimas multisque insignes honoribus complexa familias, *Sueuorum*, vulgo *Schwabiorum* profapia non innotuerit, ideoque *nouis*, quales modo descripsimus, adnumerandum TE esse *hominibus*, CONSVL Nobilissime, temere credat. Clarent SVEVI et vetustate originis, et meritorum in Rempubl. praestantia, crebraque non minus fortunae varietate ad posteritatis memoriam insignes. Equidem ultimae originis cunabula exquirere, et vnde orta sit haec SVEVORVM gens, ob annalium penuriam non licuit satis indagare. Nomen haud dubie, forsitan et originem, traxerunt a *Sueuis*, vetustissimo quondam amplissimoque *Germaniae* populo, quorum gentem maximam et bellicosissimam *Germanorum omnium* dixit I. Caesar L. IV. de B. G. c. 1, Nam hi, a *Sueuo*, antiquissimo *Germanorum* Rege ita dicti, maiorem *Germaniae* partem, ab *Albi* ad *Rhenum* vsque extensi, si *Straboni* & *Clauerio*, laudatissimis antiquae *Geographiae* Scriptoribus, fides habenda est, olim obtinuerunt, quorum sedes nostra aetate tenent, *Polonorum* quidam, *Pomerani*, *Lusati*, nec exigua *Bobemorum* pars, *Saxones*,

Misnenses, Thuringi, Hassones s. Catti, Franci, vtut veterum *Suenorum* limites incertos admodum et subobscuros esse, idem *Cluuerius* de Geogr. Antiqu. L. III. arbitratur. Hinc factum etiam esse suspicamur, vt passim nobis SVEVORVM nomina ab eruditis recensentur, quos ad vnam tamen eandemque stirpem et originem reducere, numque vnam habuerint patriam, ad liquidum explorare omnia, sine erroris periculo vix licet. Nescio enim, quo referam HIERON. SCHWABIVM, qui teste M. *Lemmelio* in vita *Welleri* p. 73. a. 1572. *Annam*, D. *Hieron. Welleri*, filiam alteram in matrimonium duxit; GEORG. SCHWABIVM, Pannificem *Francofurti* ad *Oderam*, cuius filius MICH. SCHWABE, mercator *Lipsiensis*, toro sibi junxit a. 1589. *Elisabetham*, *Alexandri Hausmanni*, Electoralis *Dresd.* rei monetariae Magistri filiam; IO. BERNH. SCHWABIVM, Pastorem *Wesnigensem* et *Loswigensem* prope *Torgauium* circa a. 1690. nec non MICH. SCHWABIVM, mercatorem *Schoenbaydensem*, post *Eybenstockensem*, mortuum a. 1691. Nobis in praesens duplicem SVEVORVM Patriam et originem nominasse hic sufficiat, donec altius excutere SVEVORVM incunabula et vltimas eorum origines inquirere dabitur. Quotquot enim mihi ex SVEVIS innotuerunt, vel ad *Annaebergenses* seu potius *Scheibenbergenses*, vel ad *Silesios* poterunt hic referri. *Scheibenbergae* enim fuit LAVRENT. SCHWABE, ad rem metallicam iuratus, qui filium habuit BALTHAS. SCHWABE, murarium deinceps *Annaebergensem*, et ciuem honestum, ex quo genitus est d. 1. Mart. a. 1570. M. LAVRENT. SCHWABE, *Annaebergensis*, Scholae patriae primum a. 1593. Collega, dein a. 1600. Ecclesiae *Scheibenbergensis*, post a. 1607. *Geieranae* et denique a. 1610. *Stolbergensis* Pastor et *Chemnicensis* Ephoriae Adjunctus, hicque recusata, quae ipsi oblata erat, a. 1616. ad Ephoriam *Bornensem* vocatione, ex voto suo mortuus est et sepultus a. 1622. aetatis EL. relinquens ex *Maria*, *Dav. Schmidii*, Consulis *Annaebergensis* filia, duos liberos, filiam scilicet *Rosinam*, *Io. Vogelbauprii*, *Ludi* primum Magistri, post Ecclesiae *Zschorlauerensis* Pastoris, vxorem, piissimam nostri *M. Iob. Vogelbauprii*, Rectoris primum *Annaebergensis*, post *Cizensis* Scholae, hinc *Annaebergam* in Archi-Diaconi locum reuocati et a. 1679. defuncti matrem; filium vero M. BALTHAS. SCHWABE, natum *Scheibenbergae* a. 1603. factumque a. 1630. Scholae *Annaebergensis* Con-Rectorem, post a. 1633. Ecclesiae *Ruckerswaldensis* Pastorem, at *Mariaebergensis* a. 1645. Diaconum, et a. 1650. Pastorem et Scholae Inspectorem, cuius filius et post duos successor adhuc viuit Vir et canitie et eruditionis laude perre-

uerendus IO. CORNEL. SCHWABE, Pastor *Mariaebergensis* Ecclesiae et Scholae Inspector, cui vegetam et tranquillam senectutem DEVS conseruet! Iis etiam, qui *Annaebergam* nostram habuerunt Patriam, accensendus primo statim loco fuisset IO. SVEVVS, ICTus magni olim nominis, et gloriae immortalitate adhuc clarus. Hic *Annaebergae* in hoc mundi theatrum productus a. 1564. patre SEBAST. SCHWABE, ciue et negotiatore non infimo; matre vero *Catharina, Wolff, Zapffii*, ciuis itidem et Pandochei filia; ex discipulatu *Wolffg. Stolbergii*, et *Pauli Ienisi*, Rectorum nostrae Scholae id temporis celeberr. abiit *Misenam* in illustre Alumneum, vbi sexennio cum laude transacto, *Lipsiam*, inde vtramque hic Philosophiae lauream adeptus, animo insimul ad iurium studia adplicato, *Vitembergam*, paulo post *Dresdam* demigravit, vbi ad triennium scribae officia cuidam ex suis cognatis praestitit. Reuersus deinde *Lipsiam*, a. 1604. Doctor Iuris vtriusque renunciatus, *Ienam* a. 1605. ad Professionem Iuris accersitus, post a. 1616. Aulae Saxo-*Altenburgensis* Consiliarius, vnaque (de quo tamen addubitat Dn. M. Io. Dietericus Dissert. de *Clara Annaeberga* p. 41.) Praeses Consistorii Ecclesiastici factus, integrae vbique fidei documenta exposuit. At quia valetudini ipsius (inquit M. Io. Casp. Zeumerus in *Vit. Profess. Ienens.* p. 91.) non adeo commodus loci istius aer visus est, optima Principum gratia dimissus, *Ienam* ex aula rediit a. 1623. pristinoque loco suo in Ictorum scholis restitutus, omnibus ferme honoribus officiisque Academicis immortalis nominis laude defunctus est, donec marasmo confectus d. 13. Dec. 1634. aet. 70. placidissime exspiravit, (teste *Wittemo* in *Biogr. Diar.* ad h. a.) Ciuis in Patriam et in *Ienam* gratissimus; nullo quippe ex *Christina, Ortolphi Fomanni*, ICTi quondam incomparabilis, filia, ducta in tori vitaeque societatem a. 1609. herede relicto, largissima pietatis specimina reliquit, legato scilicet *Ienensis* et *Annaebergensis* Ecclesiae Scholaeque Ministris liberali stipendio, quo nomine et nostra Schola non potest non bene ipsius manibus precari, cum CC. Florenorum vsuris quotannis frui nobis adhuc ex ipsius munificentia licet. Quo vero cognationis vinculo hic fuerit aliis adnexus SVEVIS, *Annaeberga* s. potius *Scheibenberga* oriundis, liquido non constat. Quare relictis montibus nostris, in *Silesiam* transfiliamus, alios ibi contemplaturi SVEVOS. Natum vero *Freystadii* in *Silesia* a. 1526. parentibus non magna cum re, sed plenis fidei, legimus, Theologum aevi sui pientissimum, SIGISMVND. SVEVVM s. SCHWABE, qui cum in patria primum, post *Francofurti* studiis operatus, in *Polonia, Liuonia, Curia, Saxonia*, aliisque in locis pueros honestorum Parentum ad pietatem et bonarum artium doctrinam solerter docuisset,

isset, *Sorauensis* primum Ecclesiae, semestri vero spatio vix elapso a. 1558. *Vratislaviensis* ad D. *Mar. Magd.* Diaconus, post a. 1566. *Laubani* (*) in *Lusatia* Pastor Ecclesiae primarius, dehinc nouennio post a. 1575. *Thorunum* in *Prussia* vocatus, sed insigni auditorum gratia *Laubanum* vi quasi a. 1577. retractus, egregia hodiernum ibi florentis Bibliothecae (***) fundamenta, sua liberalitate, jecit. Iterum vero *Laubanensi* Ecclesiae non sine auditorum lacrymis ereptus est a. 1584. reuocatus quippe *Vratislaviam* ad aedem D. *Spiritus* et D. *Bernhardi*, vt Propositi hic et Pastoris munia obiret, quibus etiam immortuus est, d. 15. May. a. 1596. aet. 70. Filios progeniuit *Sigismundum* et *Casparum* d. 28. Aug. 1572. *Laubani* natum: filias vero *Dorotheam* a. 1574. *Martino Trisnero*, *Budissinensi*, *Laubanensis* Ecclesiae Diacono; *Annam* vero *Melch. Eccardo*, Rectori ea tempestate *Laubanensi*, post *Carolo*, Duci *Silesio* a concionibus aulicis *Munsterbergi* et *Oelsi*, nec non Principatus *Oelsnicensis* Superintendententi Generali, feliciter nuptas. Scripta, quae edidit, summae pietatis et ingenii praestantioris documenta, prolixè recensuit B. *Hoffmann* in *der Lebens Geschichte der Laubanischen Prediger* p. 125. sq. qui passim et p. 229. in primis mentionem facit M. CASP. SVEVI, qui huic *Sigismundo* propinqua sine dubio cognatione conjunctus, *Leoberga Silesius*, patrii Gymnasii Rector, *Elegantias Latinitatis Caesareanae*, ex Commentariis *Iul. Caesaris* collectas, nec non *Leorinum* seu *urbis Leorini* Descriptionem euulgauit, mor-

(*) Equidem ita *Matth. Hansi* in *Memoriis Concionat. Vratislav.* p. 47. er sey ersilich Diaconus zu *Sorau* ein Halb Jahr / a. 1553. Diaconus zu *Maria Magdalena* in *Breslau*; et p. 43. sey er a. 1595. nach *Freystadt* gezogen / hernach zu *Forst* Superintendens worden / denn Primarius zu *Lauban* / und a. 1584. Probst zu *St. Bernhards* in *Preßlau* / also er auch verstorben.

(**) Ita enim B. *Hoffmannus* in *der Lebens Geschichte der Laubanischen Prediger* p. 118. Es trug der Herr Pastor *Suenus* zu Stiftung der Bibliothec, durch eigene Freygebigkeit viel bey / und trieb durch sein rühmlich exempel viel andere zur Willigen Nachfolge an / wie denn zu derselben / ob schon gar bekümmerten und beträngten Zeit / so wohl ganze Zünffte / als eingele Personen / seine Bücher in diese Bibliothec verehret haben. Und werden hiermit die izigen Einwohner der Stadt *Lauban* fleißig gebethen / daß sie in diesen Stücke dem rühmlichen Exempel ihrer Vorfahren folgen / und diesem Bücher Schatz zu Nutz der Kirchen und Schulen / ja der ganzen Stadt durch ihre Gutthätigkeit vermehren wollen. Es soll ihrer Wohlthaten nicht vergessen werden / wie man den künfftig die Rahmen derjenigen / die in die Bibliothec jemahls was verehret haben / in einer gewissen Schrift öffentlich wird zu lesen geben.

mortuus d. 27. Dec. a. 1625, conf. *Henn. Wittenii* Diar. Biograph. ad h. a. Cujus filius nescio an fuerit (certiora (*) enim expiscari ob festinationem vix licuit) GOTHOFREDVS SVEVVS, *Leorinus Silesius*, I. V. Doctor & Professor *Vittembergensis*, Electoralis Iudicii & Scabinatus, Consistorii Ecclesiastici, nec non Prouincialis Dicasterii in inferiori *Lusatia* Assessor, vita defunctus d. 29. Mart. a. 1659. aet. 44. teste eodem *Wittenio* l. c. ad h. a. cujus nominis gloria, hodiernum *Vittembergae* claret et ad posteritatem a filio tanti Patris simillimo et plane cognomine, GOTHOFR. SVEVO, I. U. Doctore et Professore Publ. Electoralis Iudicii et Facultatis Iuridicae Assessore celeberr. Sed reuertamur ad M. CASP. SVEVVM, ejusque fratrem MARTINVM SVEVVM, d. 19. Apr. 1597. natum parentibus IOANNE SVEVO, ciue *Leobergensium* primario, (cujus frater forsitan FRANCISCVS SVEVVS, ciuis ibidem praecipuus) et Sara, Martini Herwarti, Senatoris, mercatorisque *Greiffenbergae Silesiorum* filia. Hic MARTINVS SVEVVS, honesta educatione imbutus, eorum, qui lora conficiunt, officinis studium suum addixit. Hinc opificum more peregre abiturus, *Cadam Bohemiae* peruenit, ejusque ciuitate a. 1619. donatus, matrimonium iniit d. 6. Oct. a. 1620. cum Mariana, *Zach. Krausii*, ciuis *Cadanorum* optimi, filia quae primum puerpera facta maritum conjugii felicitate d. 19. Oct. a. 1621. viduauit. Quare anno orbitatis praeterlapso, ad secunda vota processit a. 1622. mense *Octobri*, cum Iustina, *Casp. Siegelii*, Ciuis *Cadanorum* honesti, filia, quae per tres et triginta annos parentem eum octo liberorum, quatuor filiorum, filiarumque totidem, bis scilicet *Cadae*, sexies vero *Annaebergae*, felicissimum fecit. Interea cum purior Euangelii doctrina exstingui in *Bohemia* coepisset, solum vertere relictis omnibus suis fortunis, et in exilium abire tanta festinatione iussus est, vt et vxor, fidissima exilii comes, diutius iusto in patria vrbe, dulcissimo solo, commorata, noctu per portarum rimas, tergo nimium laeso, elabi et maritum, fuga cum suis animae salutem petiturum, e vestigio sectari cogere. Sede igitur exilii a. 1626. *Annaebergae* constituta, haec quoque ipsi accedebat calamitas, vt a. 1630. nec minus a. 1664. communivrbis incendio insignem rerum suarum denuo faceret iacturam; vbi quae tamen praesentem ac damna exilii pariterque incendii pleno modio resarcientem, feliciter, negotiando, Deum persentiebat. Cumque d. 20. Dec. a. 1655. obitu suae *Iustinae* iterum viduus esset factus, ex tertio cum *Susanna, Mich. Zieroldi*, Praetoris

B

An-

(*) Quae tamen, si ad manus fuisset, hauriri potuissent ex *lo. Casp. Eberti* LEORINO Erudito, in quo viros *Loeberga Silesiorum* ortos et doctrina scriptisque clares breuiter describi, 4. *Pratibae*, 1714. edito, ex *Catal. Vniuers. Lipsiensis* constat.

Annaebergensium et *Poliographi*, filia, d. 8. Febr. a. 1658. inito conjugio, ut et ex laudabili liberorum educatione maximum senectutis suae solatium percepit, quippe cum et aetatis ingrauescentis vitio oculorum usum per ultimum vitae septennium amisisset, donec annis confectus die 30. Septembr. a. 1674. aetat. 77. caelo caelestem redderet animam. O Liberi vero, quos habuit sibi superstites, hi fuerunt: (I.) *Maria, Abrahami Iobini*, cuius quondam hic et mercatoris primarii vxor, & mater felicissima *Io. Martini Iobini*, I. U. Doctoris, Syndici quondam de ciuitate nostra meritisimi, hodie vero *Dresdae* in tranquillo, quem ipsi animitus precamur, senectutis suae secessu, non tamen sine frequentissimo clientum solatio degentis: (II.) *M. IO. MARTIN. SVEVVS*, in libera Imperiali *Lindauensium* ad lacum *Aeronianum* Pastor ad aedem *D. Stephani*, Consistorii Assessor et Scholarcha, d. 21. Apr. a. 1679. vita defunctus, cuius ex *Susanna Amadei Eckoldi*, Consulis *Lindauensium* filia, filio optimo maximaeque spei adolescenti, *AMADEO SVEVO* a. 1677. d. 26. Febr. inter suauissimos Musarum amplexus anno aetatis vigesimo *Vittembergae* praematura morte extincto, concionem funebrem ex Rom. VIII. 38. 39. de *Basi salutis, amore Dei*, publice habuit *B. Abrab. Calouius*, Prof. Publ. et Gen. Superint. (III) *IO. CHRISTOPH. SCHWABE*, qui die 12. Ianuar. a. 1635. *Annaebergae* in lucem editus, ex domestica optimorum parentum educatione per *Hungariam, Poloniam, Silesiam*, aliaque loca mercatum abiit, Patrique senescenti manus praebuit adiutrices. Adscita deinceps d. 18. Oct. a. 1658. in matrimonii societatem, *Susanna, Io. Conradi*, mercatoris hic felicissimi filia, indies fortunae suae cepit incrementa, lectusque a. 1682. in ordinem Patriae Senatorium, et a. 1691. Praetor factus, duabus postea vicibus fasces Consulares cum laude gessit, quos inter etiam, raro penes nos exemplo, creberrimis podagrae doloribus attritus, vita omni consulariter acta, placide expirauit, d. 23. April. qui erat *Dominic. Misericord. Dom.* a. 1699. anno aetat. 64. temploque *Anneo*, solenni ritu, d. 27. Apr. illatus est. Ex *Susanna* sua duodecim suscepit liberos, quorum superstites adhuc sunt (1.) *Anna Catharina, Iosepho Kaleisen'o*, Praetori quondam et Mercatori hic praecipuo, nupta. (2.) *IO. MARTINVS SCHWABE*, I. U. Doctor, et Consul nunc Patriae urbis spectatissimus. (3.) *IO. CHRISTOPH. SCHWABE*, et (4.) *IO. CHRISTIAN. SCHWABE*, Mercatores in Patria non incelebres, quibus addatur memoria optumae filiae, *Annae Sophiae*, quae, vxor quippe *Sebaldi Iungbansii*, cuius et mercatoris nostri

cor-

cordatissimi, anno ante Patris mortem praecesserat. Restant vero ex *Martini* liberis nominandi (IV.) *Iustina*, *Gotthofr. Rubneri*, Magistri Ferranorum *Schmalzgrubensis* vxor; et (V.) GOTHOFR. SCHWABE, mercator olim hic percelebris. Haec igitur est stirps SVEVORVM et prosapia, quae cum nec hodie furculis fragrantissimis, et nepotibus in spem patriae natis destituitur, sed laetiori in dies segete efflorescit, ac propagines fundit fertilissimas; quid aliud quaeso exinde ominemur, quam prosperrimam stirpis SVEVORVM nobilissimae perennitatem! Et eadem est, quae laetandi nobis de Tuo, quem prima vice iniisti, Consulatu, Consultissime SCHWABI, gratulandique omni patriae exoptatissima dedit argumenta. Equidem in quae tempora durissima ceciderit Tuus Consulatus, nemo est nostratium, qui non agnoscat. Duriora aueruncet Supremi, quod supplices veneramur, Numinis clementia, prohibeatque, ne eadem Te, CONSVL Nobilissime, fata maneant, quae supra laudatum *Sigism. Suetum* (*) olim *Laubani* satis coercuerunt. Absint potius et reticescant hoc die mala omina, nec inter pia vota piasque, quas pro Tua totiusque Senatus Amplissimi et optimae ciuitatis salute ac incolumitate omnigena, DEO, praepotenti rerum humanarum arbitro, deuota mente supplicationes decernunt, vlla prodigii vanitate disturbari se Musae nostrae patiantur. Te, DEVS opt. Max. Auctor ac Stator rerum nostrarum benignissime, publica voce obtestor atque precor, custodi, serua, protege hanc urbem, eosque, quorum ceruices fortiter sustinendo ciuitatis imperio sufficiant, ab omni malorum colluue immunes sisse. Robora, quaesumus vno ore, vna men-

(*) De quo iterum B. Hoffmannus l. c. p. 122. In Lauben hat der Herr Primarius Suetus mehrentheils zu gar schwehren und bekümmerten Zeiten gelebet. Denn 1570. bis 73. war hier grosse Theurung/ und deswegen unter den Armen und nothleidenden viel Weinen und Heulen. Es wurden feine Leute zum Betteln genöthiget / und musten Brod aus Staub/ Mehl / Kleyen gedörte und klein zerstoßenen Eichel / Schwämmen und dergleichen Backen/ damit sie sich und ihre arme Kinder erhalten konten. Aus dieser Noth entstand zugleich ein Sterben / daß manchen Tag 3. bis 4. auch mehr Personen vor Hunger hinfielen / so muste der liebe Mann auch 1584. also in dem letzten Jahre seines Laubanischen Kirchen-Dienstes noch eine Theurung und Pest ausstehen.

mente, SCHWABIO, nostro Consuli recens creato et Nutricio Musarum largissimo, robora inquam humeros, vt pares sint clauo Reipubl. tenendo! Redde SCHVCHMANNO, Exconsuli meritissimo, pristinam post tot exantlatas feliciter fascium consularium aerumnas, virium et corporis et animi integritatem! Sartam tectamque nobis ab omni aegritudinis molestia conserua venerandam SCHEVERECKII Consul-tissimi canitiem, multum adhuc et Scholae nostrae et toti Reipubl. profuturam! Tuere fortiter ex nostro aequae ac omnium voto, tutum-que vbiuis ab omni malignantis fortunae temeritate praesta KOELBE-LIVM, Syndicum Ciuitatis dexterrimum, insigne Musis praesidium et consulenti Curiae ornamentum. Reliquos etiam Praetores et Scabinos vsu rerum praeclaros, SCHREIBERVUM, HAHNI-VM, MEYERVUM, GENSELIVM, et MVLLERVUM de BERNECK, Patres Patriae vrbis optimos, incolunes et rebus suis vndiquaque flo-rentes serua. Haec et nobis et toti piorum ciuium turbae summa voto-rum esto; quae si rataj vbiue nobis habuerit DEI benignitas, felices agent Musae nostrae, deque flore et incremento ex Tuo in primis, SCHWABI Pernobilissime, omniumque Nutriciorum fauore, plu-ra exsultandi argumenta habebunt. Quare vale, et interpreti huius lac-titiae communis, si meretur, amorem integrum conserua! Scrib.

Prid. Id. Maji, quem alii *Christiano*, alii *Fortunato*, bono, v-trinque omine, sacrum esse volunt, A. R. S.

C. I. D. D. C. C. X. I. V.

